

- Corpore detecto plerumque iaces sine tecto 5
In terre lecto, resonas¹ male ventre relecto.
- Corporis et mentis, utriusque malum cupientis,
Crimina, que sentis, pertranseo more tacentis.
- Non urbs sive pagus retinent² te nec cava fagus,
Non plaga, non pelagus: degis in orbe vagus. 10
- Discolor ut pardus pungis sterilis quasi³ cardus⁴;
Ad potum⁵ tardus non es, cum sis goliardus.
- Verbum divinum, qui potas ante caminum⁶,
Respuis et dominum, venerans super omnia vinum.
- Passurus clades aliis potare suades; 15
Vino sepe makes, deficiendo cades.
- Potibus intentus homo fetidus et temulentus
Es circumventus⁷, tibi noxius et truculentus.
- Quando docet doctus, doctrinam caumate coctus⁸
Despicias indoctus: tua mens non percipit hoc thus. 20
- Oscula materna fugis et documenta paterna;
Deseris eterna bona pro brevitatem moderna⁹.
- Vilis et ignotus, ab utroque parente remotus,
Nudus et illotus stas in putredine totus.
- Per mare, per terras quasi pauper inutilis erras 25
Non metuens guerras, cum sepe palacia verras.
- Spernens antiquas mulieres queris iniquas;
Curvus mendicas¹⁰, solitus consumere micas¹¹.
- Gaudes in Bacho; vis vinci; cerne, quis a quo
Vinceris; in stomacho sonitu vexaris opaco. 30
- Arboris aut turris umbram petis, ad mala curris;
Ludens cum scurris passim sine lege ligurris.
- Corpus in obscuris miser igne libidinis uris;
Contemptor iuris absque rubore¹² furis.

1) Das s am Schluss auf Rasur, vielleicht stand 'resonans' da, G.
2) 'retinet' LP. 3) 'es ('es et' P) asper, ut aspera' LP; 'pungis sterilis
quasi' G auf Rasur. 4) 'tardus' P. 5) 'portum' L; 'portam' P.
6) 'caninum' P. 7) 'circumventus' G; 'circuentus' P. 8) 'cogtus' L.
9) 'moderna' auf Ras. G. 10) 'medicas' P. 11) 'mitas' P.
12) 'dolore' durch Punkte getilgt, darüber 'rubore' G.